




Königliches Gymnasium zu Deutſch-Krone.

Wissenschaftliche Beilage

zum

Jahresbericht 1900/01.



De Titi Livi in libris ab urbe condita propria elocutione
quaestiones

scripsit

P. M o c z y n s k i.

Pars I.




Deutſch-Krone.

Druck der P. Garm's'schen Buchdruckerei (F. Garm's).

1901.

1901. Progr. Nr. 28.



Facturusne operaे pretium sim, si de Tito Livio Patavino scribam, non facile diiudicare possum. nam de loco, qualem in scriptorum numero obtineat, alii aliter iudicant. sunt qui paeclarum eius historiarum opus quacunque possunt ratione destringant et scriptori modo neglegentiam rerum quas enarrat, modo stili nimiam altitudinem sermonemque ab urbano dicendi genere deflectentem obiciant. qua in re ab Asinii Pollionis¹⁾ potissimum iudicio proficiscuntur, quem Patavinitatem quandam scriptori vitio vertisse Quintilianus narrat (Quintil. instit. orat. I,5,56 et VIII,1,3). qui vir morosus de stilo Livii item intentabat et in eo Patavinitatem (id est, quaedam minus Romane dicta, ut interpretatur Erasmus in Ciceroniano) animadvertere se aiebat, ut Fabius testatur lib. VIII, c. 1. — nimirum delicatum Romani hominis palatum videbatur sibi aliquid sentire, quod non usquequaque saperet genium Romani sermonis. etiam Suetonius Tranquillus in vita C. Caligulae c. 34 scribit: „paullulum abfuisse, quin ex omnibus bibliothecis imagines et scripta Livi amoveret, quod illum uti verbosum et negligentem in historia carperebat“ (cf. vitam T. Livii ex Gerh. Joh. Vossio). et infra apud Vossium legimus: „non est igitur mirum, si Caesar excanduit ira contra scripta Livii negligentia et supprimientia, quae clarissima erant: et eum appellavit iure verbosum, qui contra Varrom, afferentem testes antiquissimos et invincibilem rationem, verbosa solum et anili loquacitate dixit.“ quod Pollio, censor profecto illius aetatis peritissimus, de nostro scriptore iudicavit, non parvi sane momenti est. verum ne Ciceronem quidem senis illius morosi, cui fere omnis id temporis sermonis ratio et inclinatio displiceret, reprehensionem effugisse accepimus. quaecunque ea sunt, quae Pollio in Livio reprehenderit, fuerunt quoque iisque haud sane imperiti, qui eius dicendi genus laudibus quibus poterant efferrent. quo in numero Quintilianus potissimum, vir inter aequales gravissimus, eminet, cuius iudicium, ubicumque de Livio apparet, summa laude redundat. appellat Livium scriptorem „cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt, affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis“ (Quintil. instit. orat. X,1,101). nec Tacitum in numero laudatorum eius deesse invenio, cum nostrum Agric. c. 10 et Annal. 4,34 veterum longe eloquentissimum fuisse praedicet. quanti Livius ab ipsis aequalibus aestimatus sit, ex loco Pliniano epp. II,3,8 intellegi potest: „numquamne legisti — Plinius Nepoti scribit — Gaditanum quendam Titi Livi nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse statimque ut viderat abisse?“ quam ad rem conferas, quod

¹⁾ Vitam moresque Pollionis brevissime descriptis Queckius in annalibus gymnasii Sondershausensis a. 1853 p. 8 sqq.

Hieronymus ad Paulinum scribit in hunc modum: „ad Titum Livium lacteo eloquentiae fonte manantem de ultimis Hispaniae Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit“ (cf. Jacob. Philipp. Tomasi dissip. in edit. Livii cur. Drakenb. vol. XV, p. l. pag. 5 et 13 sqq.).

Summa igitur ac paene divina auctoritate iam illis temporibus Livius fruebatur. sed et nostra aetate non raro inveniuntur, qui praeclarum illum rerum scriptorem miro quadam honore afficiant et diligentiam eius in colligenda materia admirantes, cum praecepue eum annalium scriptores qui dicuntur sequi oportuerit, cum Lachmanno (de fontibus Livii disp. I, pag. 45), Niebuhr (Römische Gesch. I, pag. 3—5), Nisseno aliisque ob ficticias illas quas historiarum operi inseruit orationes summis laudibus abstinere non possint¹⁾. neque aliter iudicari poterit. nam quamvis Pollio illud concedatur Livii sermonem redoluisse provinciam, tamen inter urbanum dicendi genus certis legibus pressum et sermonem eius quodammodo solutum quid interfuerit, nos quidem, quantamcunque adhibemus operam, dijudicare non possumus.²⁾ neque sola Tulliana oratione, quaenam fuerit Romanorum dicendi consuetudo, exprimitur; immo potius id tenendum est licere scriptori, qui ceterorum turbae praecedat, suam orationem eligere. qua licentia Livius largissime usus est. non imitatio stilum quo utitur ei impressit: pleraque sui ipsius propria sunt. ut enim sermonis eius proprietates magis ab ingenio poëtarum quam rerum scriptorum similiore nascuntur, ita in enarrandis Romanorum rebus gestis disserendi genus conformatum est. magna maiorum facinora gloriosaque antiquitas usque ad id tempus aspera quadam ac frigida orationis forma exposita erant. annalium scriptores novas res rebus adiunxerant; „quorum non ulli, quamquam res plane perspicientes et amore veritatis ducti descripsérunt, tamen plerique, praecepue recentiores, non studebant res traditas studio et iudicio emendare et ad historiae fidem narrare, sed satis habebant prisca sermonis ieunitate atque asperitate abiecta res ipsas causis non intrinsecus petitis sed extrinsecus allatis inter se consociare“ (cf. Sonnek: Qua ratione et quo consilio Livius res gestas Romanorum tractaverit — dissip. in annal. gymn. Iglau 1872, pag. 1). qui graece dicitur πραγματισμός plane desiderabatur³⁾. accedebat huc, quod illorum dicendi genus obsoletis formis refertum vix

¹⁾ Dr. C. Peter in dissertatione: Das Verhältniss des Livius und Dionysius von Halicarnass zu einander und zu den älteren Annalisten, Anclam 1853, pag. 3 Livium secundum Tacitum clarissimum Augusti temporibus auctorem in narrandis rebus appellat.

²⁾ Cum Patavinitatem, qui de Livii opere scribant, suo quisque modo definire studeat, Wesenerus hanc rem optime iudicio complecti mihi videtur, cum dicit: »oleum et operam eos perdidisse, qui id, quod (Quintilianus) summus ille orationis et artifex et magister sensit potius quam definire potuit, enunciale posse sibi visi sunt hodieque videntur« (cf. dissertationem eius in annalibus gymnasii Fuldaensis 1860, pag. 9).

³⁾ Similiter censet Dr. C. Peter II. p. 4: »Man hat hier und da gemeint, dass diese Geschichtswerke in nichts als in kurzen Abrissen bestanden hätten, weil Dionysius von Halicarnass (I,6) dies zu sagen scheint, und weil auch Cicero (de Or. II,12; de legg. I,2) sie matt und dürftig nennt. Allein Beider Tadel bezieht sich nur eines Theils auf den fehlenden Pragmatismus (den auch Polybius III,32,6 vermisst), andererseits auf den Mangel rhetorischer Vorzüge . . . Dass die Annalisten ausführlich genug waren, um deutlich und anschaulich zu sein, geht nicht nur aus den schon erwähnten Bruchstücken hervor, sondern ist auch noch aus den Angaben über die Zahl der Bücher und über die Stellen, wo einzelne Thatsachen erzählt waren, zu entnehmen. So wissen wir z. B., dass die Gründung von Alba Longa bei Cincius Alimentus erst im zweiten Buche erzählt war und das dieser Vorausgehende sonach mindestens ein ganzes Buch füllte.«

intellegi poterat. Livius, cum opus suum aggrederetur, quae illi nude tantum exposuerant, sermone pulchro ac materia quam tractabat sane digno aequalibus et posteris tradere constituit. nec vero delectationis causa, sed ut Κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον daret popularibus suos historiarum libros composuit. illud potissimum egit, ut sua aetati iam senescenti priscorum temporum quasi imaginem effingeret eique demonstraret nisi virtute iustitia pietateque populum Romanorum orbis terrarum imperio potiri non potuisse.

At vero in hac via ingredienda oratione idonea indigebat. multos quidem habuit qui eum praecesserant, ex quorum operibus artem rerum tractandarum sumere et adhibere potuit; sed nullum eorum imitandum sibi proposuit. Cicero quidem et oratorium et philosophorum dicendi genus absolverat atque perfecerat, historiam non attigit. neque tamen Livius de honesto sicut officii magister praecipere voluit. Sallustius, qui primus inter Romanos in enarrandis rebus gestis locum quodammodo maiorem occupare videtur, nostro plurimis de causis non satis placuit; videbat enim Livius inesse in illo quaesitam brevitatem et abruptum sermonis genus. neque Caesaris dicendi genere uti potuit, quia quae ille describit aut omnino aut maximam partem versantur in bellis narrandis iisque rebus quae sunt cum bellis coniunctae; et commentarii eius — Kriegsbulletins — ita sunt scripti, ut, qui vellent historiam scribere, haberent unde sumerent. „cum autem in historia accidat, ut explicandae sint eiusmodi res, quae ad vitam moresque hominum et rerum publicarum ortus incrementa mutationes occasus pertineant, vix potuit fieri, ut Livius illius exemplum institutumque sequeretur“ (verba sunt Dr. Car. Ed. Güthling, cf. eius *dissert. de Titi Livii oratione c. 1 in annalibus gymn. Laubanensis* 1867 pag. 2).

Quare proprium sibi dicendi genus idque consilio quod sequebatur accommodatum peperit. in quo si quis Tullianam concinnitatem investigare studuerit, saepissime fallatur opinione. nec enim facile quemquam reperias, cuius in tanta orationis dulcedine maior sit durities aut periodorum tortuosus ambitus aut iuncturae quæsita neglegentia, in quo offendamus frequentius in verbis similiter cadentibus vel bis ter quater in brevi enuntiatione incuria repetitis, in quo denique tot e vetustate adsumpta vel ex imitatione Graecorum nove et cum periculo dicta insolens quid et peregrinum sonent. quae si in unum contracta spectabimus, mira videbitur scriptoris neglegentia, qui loqui cum vulgo voluerit; sin suo quaque loco et sparsa per totum historiae corpus spectabimus, ex his effectum intellegemus, ut cuique rei suum sit scribendi genus, ut sumissa in levioribus et prope quotidianaæ similis altior exsurgat oratio et incitatior feratur, ubi res verbis exaequandæ sunt; et mire nos affectos sentiemus. denique hoc artificio optimis simillimo assecutum esse fatebimur Patavinum historicum, ut lactea eius ubertas semper collaudata poliat, nunquam satiet lectorem.

Cuius dicendi generis proprietates in orationibus potissimum, quas Livius toti historiarum operi multas inseruit, luculenter apparent. verum eas priusquam evolvere conemur, operaæ pretium videtur esse orationes illas ficticias per se breviter respicere.

Jam Romani contiones, quae in Livii opere exstant, quasi lumina sermonis, ipsum scriptorem omnium qui in hac re elaboraverunt eloquentissimum appellabant. ipsas contiones Livius cum interponeret, Graecos scriptores imprimis Thucydidem secutus est, qui hoc dicendi genus a poëtis epicis receperant. primus inter Romanos orationibus directis Sallustius eodem fere quo Livius consilio usus esse videtur; nam contionum, quas Caesar suis de bello Gallico commentariis nonnullis locis inseruit, prorsus non eadem ratio est.

numero orationum noster eos qui antecesserant longe superavit, et ipsae orationes quas scribendas suscepserat iam magni operis erant. tamen in hac re inter singulas totius operis partes aliquid intercedit. primordia enim urbis fabulis obvoluta cum describeret Livius, recto iudicio orationibus paene abstinuit, cum is quocum multis locis congruit Dionysius (cf. dissert. I. Dr. C. Peter: Das Verhältniss des Livius und Dionysius von Halicarnass zu einander und zu den älteren Annalisten, in annalibus gymn. Anclam. 1853 pag. 5 seqq.) nihil antiquius haberet, quam ut ubicunque potuit vel illa tempora pingens vel consuetudines moresque hominum describens infinitas prope contiones interponeret. orationum et numerus et circuitus tum demum accrescere potuit, cum dissensionibus inter patres plebemque obortis tribuni plebis prodissent.

Orationes illae ficticiae (quae Dr. Otto Kohl et Leutzsch, viri rerum Livianarum peritissimi, de origine illarum orationum docuerint, cf. dissert. Dr. Otto Kohl: Ueber Zweck und Bedeutung der Livianischen Reden, in annalibus gymn. Barmensis 1872 pag. 23 et 29 sqq.) totaene Livii sint, illud confitendum est videri eum etiam apud annalium scriptores viros quos pingit loquentes invenisse. tamen ipse orationes cum scriberet, ea, quae illi de hac re tradiderant, non omnino in usum suum convertisse, sed tantum eorum in enarrandis rebus auctoritatem afferre videtur. hac enim in re his fere verbis utitur: narrasse fertur II,32,8; ibi in hanc sententiam locutum accipio III,67,1; allocutus fertur XXII,38,13; XXXVII,45,11; XXI,43,1; fuisse credo — variata memoria XXI,28,5, et quae sunt cetera prorsus parilia. id ipsum ni fallor demonstrare potest scriptorem in orationibus interdum res aliter describere quam in rerum enarratione. praeterea vero ipsae sententiae oratione expressae luculenter significant Livium multo liberius hic, quam in enarrandis rebus suo tantum ingenio indulsisse. ne longus sim, ut singulae orationes eorum hominum qui procedunt descriptionem continent, ita plerisque scriptor causas, quibus tum viros ductos et commotos esse putavit, explicans eam historiae enarrandae rationem persequitur, quam nos pragmatismum vocamus.

Hisce fere in universum praemissis iam proprius ad propositum nostrum accedamus et, quaenam sint potissimum sermonis proprietates, primo loco in orationibus, deinde in rerum enarratione consideremus. quas si non omnes evolverimus (neque fieri potest, quin et haec λεπτολογήματα suas habeant utilitates voluptatesque (cf. Daniel Vechner, Hellenol. p. 5), excusatione materiae amplissimae uti licebit.

A.

Atque disputationem nostram ad orationes Livianas pertinentem priusquam aggrediamur, sic rem tractatuos nos profitemur, ut

- I. primum de verborum supellectile,
 - II. deinde de poëtico orationum colore,
 - III. tum de rhetoricis quibusdam figuris,
 - IV. postremo de periodorum structura
- dicendum sit.

I.

Supellex vocabulorum quibus Livius utitur multo copiosior est quam ea, cuius usque ad id tempus usus extiterat. non enim solum noster verba quaedam ex fontibus recepit,

verum etiam quos Graeci dicunt ἀρχαισμούς primum in sermonem induxit. verba autem, quae Livius ex fontibus depropmsit, prout fontium natura ferebat, partim latinitatis iam obsoletae partim graeci sermonis sunt. quorum quae ad antiquius quoddam dicendi genus pertinent, haec fere in orationibus reperiuntur: duellum pro bellum I,32,12; perduellis pro hostis XXV,12,10. pomoerium I,44,4. ast X,19,17 pro at: „ast ego tibi templum voveo.“ antidea pro antea XXII,10,6. quod non legitur nisi in rogatione de vere sacro. — ad verborum declinationem spectant: adclarassis pro adclaraveris, velut I,18,9: „Juppiter pater, — uti tu signa nobis adclarassis“. — auxitis XXIX,27,2 pro auxeritis. — clepsit ad graecum Κλέπτειν conformatum XXII,10,5: „si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit“. — defexit pro defecerit I,24,8: „si prior defexit publico consilio dolo malo“. — dedier (obsoleta infinitivi forma) pro dedi I,32,7: „si ego iniuste impieque illos homines illasque res dedier mihi exposco“. — desisse cf. V,3,2; IV,35,9: „ubi contemni desissent“. conferas etiam VIII,28,1; XXV,38,20. — duit pro det XXII,10,3: „datum donum duit populus Romanus Quiritium“; X,19,17: „Bellona, si hodie nobis victoriam duis“. — volt pro vult XXI,21,5: „si quis vestrum suos invisere volt“. — faxo pro fecero VI,35,9: „faxo, ne iuvet vox ista“; VI,41,12: „quod faxitis, deos velim fortunare“; XXII,10,4: „quomodo faxit“; XXIII,11,2: „si ita faxitis“; conferas etiam XXIX,27,3; I,24,8. invenitur etiam passivum faxitur, velut XXII,10,6: „si antidea senatus populusque iusserit fieri, ac faxitur, esto“ (sed non omnes editiones faxitur habent). — siris pro siveris I,32,7: „tum patriae compotem me numquam siris esse“. — adde huic: ausim, cooptassent, alia quae Drakenborchius ad XXXVI, c. 2 collegit. notandum tamen est haec verba antiquitatem redolentia in iis tantum orationibus inveniri, quae ad formulas legum, precum votorumque vetustissimas spectant. quae pleraque in primo libro, ubi de primordiis urbis agitur, exstant. — inter ἀρχαισμούς quos dicunt formae quoque contractae perfectorum aliorumque temporum quae inde ducuntur referri possunt. inveniuntur in orationibus hae formae: noritis, cognosse, scisse, descisse, sisce, quiesce, emostis, admostis, decresse.

Ad vocabulorum declinationem spectant: senati pro genitivo senatus V,51,1: „et ob eadem haec non si mille senati consultis populique iussu revocaretis“ (sed variae sunt lectiones hoc loco). — plebi pro genitivo plebis III,6,9: „circumitio ac cura aedilium plebi erat“; quem ad locum conferas II,42,6, ubi in Drakenb. edit. etiam alii septemdecim loci annotantur et infinitivos alios inveniri Drakenborchius affirmat. — bellum patrare, quam vocem Quintil. VIII, 3, 44 inter ἀρχαισμούς numerat.

Videmus igitur satis amplam ἀρχαισμῶν copiam in ipsis orationibus reperiri; nec tamen id neglectum velim scriptorem in enarratione rerum his obsoletis formis multo saepius usum esse. minime mirum id quidem; iam enim notavimus Livium in orationibus minus fontes esse secutum quam suo ingenio induluisse.

Prorsus eadem ratio eorum verborum est, quae ad Graecorum dicendi consuetudinem pertinent. quorum pleraque ex Polybio in Livii historiarum opus irrepssisse inter viros doctos iam dudum convenit. de eo tantum alius alter sentit, quonam ab libro Livius Polybio uti cooperit. quae quaestio magni sane momenti est, nec vero ea ad nos pertinet. illud tantum profiteor Henricum Nissenum nuper omnium virorum doctorum, qui de hac re disputaverunt, novissimum iudicium protulisse, cum graviter contenderet nostrum graeco

illo fonte ante librum vigesimum tertium non usum esse.¹⁾ quod ut pro certo statueret, vir doctus ea observatione commovebatur, in quam nobis hoc loco incumbendum est. singulos enim locos qui ad Graecorum sermonem proprius accedere videbantur collocatos tam subtiliter distinxit, ut paene in propatulo positum existimaret, unde Livius a Polybio penderet. omnes autem locos qui stilum Polybianum redolent enumerare non nostrum est. tamen Graecismos maxime notabiles, quoad orationibus inserti sunt, afferamus.

Cernuntur autem graecismi maxime graeca latinorum vocabulorum sive significatione sive constructione. nam praeter ea nomina graeca, quae Vechnerus Hellenolexia sua p. 5—23 ed. Heusing. admisceri praecipue latinis carminibus docuit, Livius, non contentus iis limitibus, quibus poëtae linguam urbanam temperatam esse voluerunt, his vocibus usus est, quas Cicero imprimis sedulo vitavit. minoris facio „emporium“ XXI,57,6; XLI,1; XXVI,19,11; XXXIV,8,7, quod multis locis legitur, et „androgynos“ XXVII,11,4, i. e. natos ambiguo inter marem ac feminam sexu infantes, et „Philippeus“ (Φιλίππειος) XXXIV,52,7; XXXVII,59,4; XXXIX,5; XLIV,14, — et „cistophorus“ XXXVII,46,3; XXXIX,7,1, et „gymnasium“ XXXIV,26,2; nam hae voces et technicae et apud alios interdum sunt. neque offendor „Martiis viris“ XXXVIII,17,18; nam Romuli prolem libenter ἄνδρας Ἀρηῖους appellabant poëtae (Ovid. Fast. III,59; Metam. III,531; XIV,798; Sil. 12,582; Sen. Octav. 291). illud maius est, quod Livius scripsit XXXIX,44,1: „L. Scipioni Asiageni“ pro Asiatico, — quod dixit: „Megalen polin“ pro Megalopolim XXXII,5,5. tacebo etiam de „senatu castiganda“ III,19,4, quam formam defendit Nannius apud Drakenb., ut sit senatus bouλής vel συγκλήτου instar. sed a Graecis assumpsit Livius, ut docet Gronovius: „minutus“ XXI,52,2: „consul alter equestri proelio uno et vulnere suo minutus“, quod sive proelio et vulnere debilitatum consulem sive spe deiectum (entmutigt, mutlos) esse interpretari velis; nam Hom. Od. IV,374 dicit μινύθει δέ τοι ἦτορ ἔταιρων: animo cadunt socii. — porro in Livii verbis II,16,4: „Attius Clausus cum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur“ — turbatores belli sunt eius auctores, quod alterum Gronovius pro vulgo substituere voluit; simili modo apud Graecos legimus: ταράσσειν στάσεις καὶ πολέμους. — adde „saeculum“ apud Livium IX,18,10: „saecula plura“. saeculum significat γενέαν et γενέθλην (Menschenalter), quo sensu Verg. Georg. II,294: „multa virum saecula“, et Catullus LXVIII,43: „saeclis obliviousentibus“ scripsit. Livius utrumque superarit audacia, absoluto usu suo egregie interpretes ludificatus; cf. Drakenb. ad Liv. I. l. (IX,18,10) et Dr. M. Müller in dissertatione: Beiträge zur Kritik und Erklärung des Livius, Stendal 1866 pag. 18, ubi alia multa exempla invenies. — a graeco dueta est: „clades dextrae manus“ II,13,1 pro „amissa dextra manus“. „clades“ apud Ciceronem est saepe pro „amisso proelio“, cum Livius hoc sensu „cladem pugnae accipere“ II,51,4 dicat, ad originem graecam respiciens in clade sive ad „κλάω frango“ sive ad „κλαδάω ramos deputo“. — etiam illud dictum „animi Romani sunt alicui“ VIII,19,11 Naegelsbachius (Lat. Stilistik) nostrum ex graeco sermone sumpsisse intellegit, quam vocem interpretatur per: „ῥωμαῖτει τις“. — in formula „ferri agique“ XXII,3,7 sequitur Livius graecam φέρειν καὶ ἄγειν; ferre ad res inanimatas, agere ad pecudes refertur. — tum „facere et fieri“ XXII,10,3 eodem sensu dictum est, quo Graecorum φέρειν simpliciter de sacrificiis dicitur. — „forte quadam divinitus“ I,4,4 eodem modo dicitur atque a Graecis θείᾳ τινὶ

¹⁾ Peter in dissert. I. p. 11 Livium iam ab libro vicesimo primo Polybium auctorem habuisse affirmat.

τύχη, quoniam fors ipsa denique deorum numini tribuatur, monet Gronovius l. l. — sequitur „conspectus elatusque supra modum“ IV,13,3; „conspectus“ hic est περιβλέπτος, itemque XXI,4,8: „arma atque equi conspiciebantur“ dictum est more Eurip. Phoen. 554: περιβλέπεσθαι τίμιον. eodem modo Nepos Attic. 13,5: „ut in neutram partem conspiciri posset“ dixit. — porro legimus apud Livium: „decumis castris pervenit ad Iberum flumen“ XXVIII,33,1; „septuagensimis castris“ ibid. c. 16,10; „tertiis castris“ XXXVIII,24,1. scripserunt sic hi Romani, qui alibi itinera diebus metiebantur Graecos imitati; nam Graeci itinera σταθμοῖς definiebant; exempla multa sunt apud Xenoph. Anab. II,4,12, alibi. — adiungo his: clepsit, cleptum XXII,10,5: „siquis clepsit, ne populo scelus esto neve cui cleptum erit“. — „occupavit tracere“ XXI,39,10; „occupare“ apud nostrum non raro φθάνειν significat, cui participium apud Graecos, infinitivus apud Latinos adiungitur. quam tamen constructionem Wytteneb. epist. critic. p. 181 removit eo, quod docuit nonnunquam pro participio infinitivum etiam apud Graecos inveniri. Plinius panegyr. 10 hanc eius vim sic illustravit: „ille occupavit primusque fecit“. postremo colloco II,19,7: „nec fefellit veniens Tusculanum ducem“; XXXI,38,9: „quum abire inde et fallere abiens hostem vellet“; XXV,9,2: „ne quis agrestium procul spectator agminis falleret“; VIII,20,5: „ne alio itinere hostis falleret ad urbem incedens.“ fallere est graecum λανθάνειν, quod adverbii vice fungitur, quotiescumque participio iunctum est: ἔλαθε προσιών, ἀπιών, ὥν. latina vis vocabuli reperitur XXII,16,5: „nec Hannibalem fefellit suis se artibus peti“, — et alibi. verbum fallendi etiam vim periurii faciendi habet; conferas XXI,45,8, ubi Hannibal militibus in pugnam ituris multas res promisit et „ut rata scirent fore, agnum laeva manu, dextera silicem retinens, si falleret, Iovem ceterosque precatus deos, ita se mactarent, quem ad modum ipse agnum mactasset“ dixit. etiam locus XXII,53,11 hue referendus est, ubi Scipio post cladem Cannensem labantem rem publicam sustinere studet nobilesque iuvenes, cum mare ac naves spectarent, ab hoc incepto avocans stricto super capita consultantium gladio „ex mei animi sententia“ inquit, „ut ego rem publicam populi Romani non deseram, neque alium civem Romanum deserere patiar; si sciens fallo, tum me Iuppiter optimus maximus, domum, familiam, remque meam pessimo leto adficiat“. sic etiam legitur apud Paul. Diaconum p. 115,4: „si sciens fallo“, et apud Plin. pan. 64,3: „si sciens fefellisset.“ —

Multo maior autem, ut tandem ad illos quos vocant νεοτερισμούς veniam, eorum verborum copia est, quae Livius aut, cum iam intermortua essent, resuscitavit, aut primus omnino in sermonem pedestrem induxit. singula autem priusquam aggrediar, in universum quaedam praemittenda sunt.

In iis quae nos dicimus substantiva id observandum est Livium saepissime appellationibus, quae in „—us“ desinunt, uti. exempla propono haec: divisus pro divisio, postulatus, quae vox nisi apud Livium eodem sensu non invenitur, pro postulatio; profectus pro profectio. addo huc: comploratus, intercursus, auctus, suspitus, actus, quae vox de histrionibus dicta est.

Deinde id attendendum est substantiva haud infrequenter adiectivorum loco ponи, velut: victor exercitus, domitor ille exercitus, exul advenа, victor hostis II,59,3; biduum tempus XXVII,24,3; plebs transfuga II,1,4; ex virtute nobilitas (Verdienstadel) I,34,6; cum foederum ruptore duce ac populo XXI,40,11; domitor ille totius Hispaniae exercitus XXVIII,19,15; proditor exercitus militaris disciplinae, desertor signorum II,59,9; liberator ille populi Romani animus I,56,8.

Ipsis adiectivis cum utitur Livius, quaedam insolentius formata iis, quorum apud ceteros exstat usus, praefert. *huc referenda sunt ea potissimum, quae in „—bundus“ desinunt.* quorum in orationibus per pauca tantum inveniuntur; notavi tamen: *praedabundi II,26,1; venerabundi V,22,4; conferas etiam infacundus VII,4,5.* — multo frequentior eorum adiectivorum usus est, quae syllabis „—osus“ terminantur. in hoc genere Livius nonnulla ipse formavit. exempla afferantur haec: *controversiosus, procellosus, quae verba ante Livium nusquam leguntur.* deinde: *furious, imperiosus, religiosus, animosus, generosus, — et quae sunt cetera eius generis.* — exstant etiam insolentiores quaedam eorum adiectivorum fictiones, quae in „—bilis“ cadunt, velut illud „inexsuperabilis“, quod saepius legitur. cuius vocabuli etiam comparativus invenitur „inexsuperabilior“. similiter legimus VII,4,5: *infacundior;* deinde: *distinctior, incautior, inflatior, obedientior VIII,8,1; commotior, efferatior, conspectior; XXXVIII,51,14: „celebratior is prope dies“; VI,14,9: „commotius ad omnia turbanda consilium“.*

Venio ad verba. iam dudum animadversum est Livium poëtas secutum saepissime verba simplicia eo loco ponere, ubi Ciceroni nonnisi composita placuissent, cf. Moser Cic. de legg. II,10, p. 230. — testes sunt qui in orationibus exstant hi loci: IV,3,7: „spes apiscendi summi honoris“ pro adipisci; apiscendi verbum alias per quam raro invenitur. — V,21,3: „Juno regina, quae nunc Veios colis“ pro incolis. — similiter legitur:

capere pro accipere XXII,49,7. ferre pro afferre I,18,8; II,12,15; pro inferre IX,23,11; pro referre X,24,15. fluere pro superfluere VII,29,5. iurgare pro obiurgare XXII,29,2. labi pro delabi III,50,7. mergere pro demergere VI,17,2. memorare pro commemorare III,47,2. ponere pro deponere I,19,4; VII,32,1.¹⁾ adde huc: sistere, tangere, tenere, terere, vertere. — neque minus notum est Livium verbis quae dicimus frequentativa usum esse. exempla propono haec: affecto, confector, consulto, discepto, factito, insecto, offenso, territo, vocito, voluto; alia apud Drakenb. ad Liv. III,20,8 et VIII,31,3 atque apud Weissenborn. ad I,2,3 leguntur.

Quae quoniam in universum de verborum generibus praemisimus, iam ad singulas voces ipsius Livii proprias, quarum in orationibus usus exstat, accedamus. notavi haec:

augurari VIII,5,8: „Juppiter in tuo augurato templo captus“ pro inaugurate, quod III,20,6 legitur: „locumque inaugurari.“

auspicato V,14,4: „comitiis auspicato quae fierent“; cf. ib. 21,1; ib. 52,2.

auctus, us, XXIX,27,3: „vos divi divaeque bonis auctibus auxitis.“

compar: „consilium tuum parentis tui consilio compar“ XXVIII,42,20.

sing. „caeterus“ legitur saepius, velut III,19,9. quem ad locum conferas Weissenborn. claudere pro claudicare XXII,39,3: „si altera parte claudet res publica“, quem ad locum conferas Alschefski.

cruentus XXI,43,11: „hostis cruentum certamen edidit.“

cooptare, de omni electione dicitur.

enubere IV,4,7: „neque vestras filias sororesque enubere sinendo e patribus“; cf. X,23,4; XXVI,34,2.

¹⁾ Livius in eiusmodi verborum usu vestigia poëtarum legere videtur, cf. Verg. Aen. II,472: „positis exuviiis pro depositis; Ovid. Met. X,19.

exsudare, perquam ποιητικῶς dictum V,5,6: „ut ad aestatem rursus novus de integro his instituendis exsudetur labor?“ cf. IV,13,4: „id unum dignum tanto apparatu ac certamine, quod ingens exsudandum esset; cf. Horat. sat. I,10,28: causas exsudare.

efferatus XXXIV,24,4: „moribus efferatiōribus“.

forsan X,39,14; III,47,5. — insociabilis, inexsuperabilis, de qua voce iam dictum est. indicere pro „non dicere“ XXII,39,2: „nam duo boni consules etiam me indicente omnia e re publica fideque vestra faceretis“; V,15,10: „quae tum cecinerit, ea se nec ut indicta sint revocare posse“; cf. Terent. Adelph. III,4,62: „non me indicente haec fiunt“.

inclitus (quod nisi apud poētas non legitur) XXI,43,11: „incliti populi regesque perlevi momento victi sunt“.

intercalare, quod eodem sensu atque IX,9,2 nusquam invenitur; ibi legitur: „dedetis . . . priusquam dedantur, hic in comitio virgis caesos, hanc iam ut intercalatae poenae usuram habeant.“

innuere VIII,4,2: „ubi innuerint.“

letum XXII,53,12: „leto adficias“; cf. etiam XLV,26,8: „letum oppetere.“

necessum est XXXIX,5,9; XXXIV,5,2.

operae est I,24,6; IV,8,3.

porrīcio pro prōicio XXIX,27,5 (porrīcio, porreci, porrectum, porricere): „exta in mare porrīcit.“

percuratus XXI,57,9: „percurato vulnere.“

quandoque pro „cum“, VIII,7,15: „quandoque tu, T. Manli, . . . extra ordinem pugnasti“. idem vocabulum alio sensu dictum I,31,4.

quaeso, quaesumus c. coniunctivo XXVIII,39,16: „id uti permittatis quaesumus“. X,13,13: „P. Decium quaeso mecum consulem faciat.“

satias pro satietas XXX,3,4: „iam satias amoris in uxore cepisset“.

tempestas pro tempus saepissime invenitur.

Adicio insolentiores quasdam verborum coniunctiones, quae in orationibus Livii leguntur:

adserere in libertatem VIII,5,4: „quamquam armis possumus adserere Latium in libertatem“.

bellum sumere ac ponere VIII,4,3: „quem se cernere consules bellis propriis ponendis sumendumisque nolint“, — ubi ponere pro deponere, sumere pro suscipere dictum est.

contrahere piaculum V,52,14: „et flamen peregre habitando in singulas noctes tantum sibi reique publicae piaculi contrahet?“

cedere fato, cf. XXVI,13,17.

copulare concordiam IV,43,11: „quin illi remittendo de summa quisque iuris mediis copularent concordiam.“

commercium iuris praebere ac repeterē XLI,24,16.

eripere aliquem ex equo XXIII,45,8: „ubi ille miles meus est, qui erupto ex equo C. Flaminio consuli caput abstulit?“

status rerum venit in desiderium III,37,3.

fortuna belli inclinat III,61,4.

occipio magistratum III,19,2; III,55,1; IV,37,3; V,9,8; V,32,1; XXXI,50,6; I,7,6.

praeire verba VIII,9,4: „agedum praei verba, quibus me pro legionibus devoveam.“

redigere ad nihilum V,25,12.

unus omnia est XL,11,3: „Demetrius iis unus omnia est.“

vident in futurum VI,12,8: „siquid di vatesve eorum in futurum vident!“ quem ad locum conferas illud: in coelum conspicere Plaut. Cist. II,3,78.

Postremo loco eas elocutiones ipsius Livii proprias pono, quae sententias non solum eiusdem, sed etiam variarum gentium scriptoribus communes continent, quas tamen alius aliter exprimit; habet enim suum quisque modum sentiendi et dicendi. exempla dare liceat haec:

Liv. I,10,4: „vana sine viribus ira“ (Zorn ohne Macht).

Liv. Praef. 5: „expers omnis curae“ (XXII,44,7: omnis culpae exors: ledig jeder Schuld; XXIII,10,3: exsortem Punicae amicitiae foederisque secum facti; XXIII,5,11: expertem omnis iuris et condicioneis et linguae prope humanae militem trahit). Schiller in carmine „Glocke“ similem sententiam exprimit dicens:

„Winkt der Sterne Licht,
Ledig aller Pflicht,
Hört der Bursch' die Vesper schlagen;
Meister muss sich immer plagen.“

qui versus hoc modo latine exprimuntur (cf. Seppium in libello, quo praefatus est annalibus gymnasii Augsburgensis a. 1894 pag. 159):

simul splendore coruscat
prima stella suo, studio iam liber ab omni
advolat ad laetam securus tiro merendam,
improbus attentum vexat labor usque magistrum.

I,4,4: „hoc divinitus accidit“ (das ist eine göttliche Fügung); Cic. Cat. 3,22: „id divinitus esse factum“.

XXXIII,32,7: „suarum aurium fidei non credere“: seinen Ohren nicht trauen.

I,41,3: „consilia torpent“ (jetzt ist guter Rat teuer); VI,23,6: frigere ac torpere consilia; XXXII,20,2: „animi quodam modo obtorpuerant“ (der Verstand war ihnen stille gestanden¹⁾); I,25,4: „torpebat vox spiritusque“.

ad vocem „hodie quoque“ cf. I,17,9: „hodie quoque usurpatur“; V,27,1: „quod hodie quoque in Graecis manet“. Cic. Rosc. Am. 25,70: „quibus hodie quoque utuntur“.

„spes ad irritum cecidit“ II,6,1; „spes ad irritum redacta est“ XXVIII,31,1 (die Hoffnung ist zu nichts geworden).¹⁾

„per aequa per iniqua“ (wohl oder übel) II,32,7; „aequi iniqui“ (Freund und Feind) V,45,1; XXII,26,5.

„consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet“ III,4,9. Cic. Cat. I,2,1; Cic. Mil. 26. Caes. b. g. 1,5. Sallust. Cat. 29,2.

¹⁾ cf. Sepp. ll.

„liberalis de alieno“ (aus fremden Häuten Riemen schneiden)¹⁾ III,1,3; cf. X,24,5:
„sub aliena arbore fructus legere“, — et Sen. de clem. 1,20.

„corpora curare“ III,2,10; XXIII,35,16; XXIV,39,1; XXV,23,15. Curt. III,8. Pers. 5,151:
„genio indulgere“ (sich gütlich thun, sich laben, erquicken).

„ex incommodo alieno suam occasionem petere“ IV,58,2; „ex alterius incommodis sua
commoda comparare“ (im Trüben fischen) Terent. Andr. IV,1,3.

„Manliana imperia“ (strenge, grausame Befehle) VIII,34,2; VIII,7,22; IV,29,6. Gell.
I,13,8: „Postumiana imperia et Manliana“. „Fabianae artes“ Liv. XXII,34,7; „Cassiani iudices“
(strenge Richter) Cic. Rosc. Amer. 30,85.

„canis in Capitolio“ V,47,13 (stumme Hunde). cf. Cic. Rosc. Am. 20,56.¹⁾

„vae victis“ V,48,9; ad eandem sententiam cf. Liv. XXX,30,23—24; XXXIV,57,7:
„victis dicerentur leges“. Curt. IV,5,7: „leges a victoribus dicuntur“ (wer siegt, kann den
Frieden diktieren).

„me sequimini ad caudem, non ad pugnam“ V,44,7; V,45,3; XXIII,40,11: „caedes
inde magis quam pugna fuit“; XXV,14,10: „caedes inde, non iam pugna erat“. — „jam-
que non pugna, sed caedes erat“ (ein Schlachten war's, nicht eine Schlacht zu nennen)
Curt. IV,15,32.

„multo sanguine ac volneribus ea victoria stetit“ XXIII,30,2: viel Tote und Ver-
wundete hat dieser Sieg gekostet. Curt. III,11,27: „tantulo inpendio ingens victoria stetit“.

„contra ius fasque“ (gegen göttliches und menschliches Recht) XXVII,17. Sallust.
Cat. 15,1. — „per fas et nefas“ VI,14,10; „mihi ius fasque est“ (vor Gott und der Welt
habe ich das Recht)¹⁾ XXIII,12,15; VII,31,3; XXVII,17,13. „contra ius fasque“ Cic. har.
resp. 16,34. „fas et iura sinunt“ Verg. G. 1,269. „ius fasque exuere“ Tac. h. 3,5.

„ostendite bellum, pacem habebitis“ VI,18,7. eandem sententiam ostendunt haec
dicta: si vis pacem, para bellum (willst du Frieden haben, so rüste dich zum Kriege);
„aliquid mali est propter vicinum malum“ (es kann der Frömmste nicht im Frieden
leben, wenn es dem bösen Nachbar nicht gefällt) Plaut. Merc. IV,4,32. — „saevis pax
quaeritur armis“ Stat. Theb. 7,554. — „nunquam imperator ita paci credit, ut non se
praeparet bello“ Sen. de brev. vit. 26,2. — „bellum vitando alemus“, Curt. VII,7,17. huc
refer etiam verba Schilleri in W. Tell 4,3:

„soll der Frieden Dauer haben,
dürft das Schwert ihr nicht vergraben“.¹⁾

„adversae res admonent religionum“ (Not lehrt beten) V,51,8. — „cum res trepidae,
reverentia divum nascitur“ Sil. Ital. 7,88. — „diligentius dii coluntur irati“ Sen. contr.
8,1. — „in rebus acerbis acrius advertunt animos ad religionem“ Lücret. 3,53.

¹⁾ cf. Sepp. ll.

Liv. XXII,29,8: „... eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit, secundum eum, qui bene monenti oboediat“. Hesiod. opera v. 296:

„Οὗτος μὲν πανάριστος, δές αὐτὸς πάντα νοήσῃ,
ἔσθλός δ' αὖ καὶ κείνος, δές εὖ εἰπόντι πίθηται.“

„geramus ergo dis bene iuvantibus bellum“ XLII,51,1; cf. etiam VI,23,10; VII,32,17; XLIV,38,7: „virtute ac dis volentibus magni estis“ (durch eigene Kraft und höheren Beistand) [deo propitio Cic. n. d. 44] habt ihr es so weit gebracht) Sallust. Iug. 14,19.¹⁾

„nihil agenti sibi de caelo devolaturam in sinum victoriam censeat“ VII,12,13. — cf. Petron. 45: „hic porci cocti ambulant“. — „non volat in buccas assa columba tuas (nicht fliegen einem die gebratenen Tauben in den Mund)“¹⁾ — non iacet in molli veneranda Scientia lecto, — nec tibi per ventos tosta columba venit“ Athen. Deipnosoph. 2,68.

„est caeleste numen; es magne Juppiter“ VIII,6,5. — „deum equidem credo esse“ Cic. n. d. 3,7; — „qui negat esse deum, spectet modo sidera caeli! sidera qui spectat, non negat esse deum“ Cic. n. d. 2,5 (der gestirnte Himmel verkündet die Herrlichkeit des Schöpfers).¹⁾

„fortes fortuna adiuvat“ VIII,29,5; XXXIV,37,4. — Terent. Phorm. I,4,25. — Cic. Tusc. 2,4. — Senec. epist. 94. — „audentes fortuna iuvat decoratque corona“ Verg. Aen. 10,284.

„absit invidia verbo“ (= sit venia verbo) IX,19,15; XXVIII,39,11; XXXVI,7,7: „absit verbo invidia“. Curt. X,2,24: „absit invidia“; id. X,9,6.

„per gradus labi“ VIII,6,2; oppositum: per gradus ascendere.

„uter ad utrum bellum dux idoneus magis esset“ X,14,2. — „uter utro est potior?“ Hor. ep. 2,1,55. — „uter utri insidiatus est?“ Cic. Mil. 12. — „uter utri anteferendus est?“ Caes. b. g. 5,44. — „uterque utrique est cordi“ Terent. Phorm. V,3,17.

„aediles semitam saxo quadrato a porta Capena usque ad Martis straverunt“ X,23,12; XLI,27: „censores clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt.“

„fuga effusa“ XXI,46,9; XXII,49,13; XXIII,29,14; XXXVIII,2,10.

„Hannibal ante portas“ XXI,16,2; XXVI,10,3; XXIII,16,1. — Cic. de fin. IV,9,22.

„ne parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet“ XXI,3,6. — „parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium“ Curt. VI,38 (Feuerfunke noch so klein, — Aeschert Städ' und Dörfer ein).¹⁾ „neglecta solent incendia sumere vires“ Hor. ep. I,18,85.

„ferme fit, ut secundae res neglegentiam creent“ XXI,61,2; XXIII,27,3: „neglegentia ex re bene gesta oritur“. — „bene ferre magnam disce fortunam“ Hor. carm. III,27,74:

¹⁾ cf. Sepp. II.

— „res secundae sapientum animos fatigant“ Sallust. Cat. 11,3 (Alles in der Welt lässt sich ertragen, nur nicht eine Reihe von schönen Tagen. — Es müssen starke Beine sein, die gute Tage tragen können! — Lieber durch Leiden möcht' ich mich schlagen, als so viel Freuden des Lebens ertragen!).

„clam furtim“ XXI,63,9. similiter dicitur: clam furtive, clam nocte, clam tacitus, clam occulte, noctu silentio, luce palam, palam atque aperte, palam secreto, furtim — palam, forte casu.

pro „prospectus impeditur“ vel „prospectus oculorum aufertur“ (Curt. IV,15,32) Livius scribit XXII,46,9: „ventus pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.“

verbo „derigere“ in his elocutionibus utitur Livius: aciem derigere XXI,47,8; XXII,43,11; naves in pugnam derigere XXII,19,11.

„procul este profani“ XXII,1,16. — „favete linguis“ Hor. carm. III,1,2. — Tibull. II,2,2. — Ovid. Fast. 11,38. — Liv. XXIX,15,1.

„habita fides ipsam plerumque fidem obligat“ XXII,22,14. — „in maxima fortuna minima licentia“ Sallust. Catil. 31,13.

„eventus stultorum magister“ XXII,39,10. „vestigia terrent“ Hor. ep. I,1,74. — quae nocent, docent; πάθος, μάθος Soph. Oed. Col. 7. — error hesternus tibi sit doctor hodiernus; — casus dementis correctio sit sapientis. et nos: die Erfahrung ist ein teurer Lehrmeister; aber die Narren wollen bei keinem andern in die Schule gehen; — die Weisen lernen mehr von den Narren, als die Narren von den Weisen;¹⁾ vel: durch Lehre klug von Hundert Keiner; — durch Beispiel klug von Hundert Einer; — durch Proben klug von Hundert Zwei; — durch Schaden klug von Hundert Drei.

„oneratus sum magis quam honoratus“ XXII,30,4 (grosse Ehr' — viel Beschwer; Würde macht Bürde; eher beschwert, denn geehrt; Würde ist mit Bürde gesellt; auf die Bürde folgt die Würde, auf die Ehr' folgt die Beschwer). fasces sunt fasces. — honos habet onus (Varro).¹⁾

„pedibus in sententiam ire“ XXII,56,1. — Sallust. Cat. 50,4.

„corona laurea coronatus“ XXIII,11,5. — Tac. Annal. 2,83: „coronis querceis ornare“.

„praetervolat opportunitas“ XXV,38,18. — Cic. C. M. 69: „horae cedunt et dies et menses et anni, nec praeteritum tempus unquam revertitur“. — Ovid. a. a. 3,63:

„nec, quae praeterit, iterum revocabitur unda,
nec, quae praeterit, hora redire potest“.
(Die Jahre fliehen pfeilgeschwind. —
Ist die Zeit einmal verlaufen,
Kannst du sie nicht mehr erkaufen.)¹⁾

¹⁾ cf. Sepp. ll.

Verg. Aen. 10,467: „. . . . breve et irreparabile tempus
omnibus est vitae“;

id. Georg. 3,284: „Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus“;
et nos: „herunter ist der Augenblick gefallen:
in rascher Hand nur bleibt er eine Perle;
schnell wie ein Hagelkorn schmilzt er dem Säumigen!“

cf. Horat. ep. I,2,43: „et labetur in omne volubilis aevum.“

„iura obterere“ III,56,8: „omnia iura populi obtrisset“ (Rechte mit Füßen treten).
Cic. Rosc. Am. 23,65 eodem sensu dicit: „iura polluere“; id. Phil. 11,12: „deorum
hominumque iura polluere“.

„surdis auribus canere“ XL,8,10. — Hor. ep. 2,1,200: „narrare asello fabellam“.

„stolida superbia“ XLV,3,3. — Cic leg. 2,7: „stulte arrogans“ (Je mehr Ignoranz,
desto mehr Arroganz. — Mit der Dummheit kämpfen die Götter selbst vergebens. — An
Größenwahn kann nur der Kleine leiden.¹⁾ Dummheit und Stolz wachsen auf einem
Holz. — Wo viel Dunkel, da ist viel Dünkel).

Verum haec hactenus. satis mihi multa verba fecisse videor, ex quibus, quali Livius
verborum supellectile usus sit, appareat.

II.

Iam ad alterum illum locum, qui est de poëtico orationum Livianarum colore,
quem Queckius (l. l. p. 15) tantum praetereundo attigit, accedamus. quod genus dicendi,
quam late pateret, veteres iam animadverterunt, cum Livii orationem poëtae quam
historico similiorem esse dicerent. quae res autem non mira videbitur, si verba Quintiliani
respiciemus, qui inst. orat. X,31 dicit: „Historia est proxima poëtis et quodam modo carmen
solutum“ cf. Queck p. 5: „Die wesentliche Anforderung an den historischen Stil
bei Cicero ist ein gleichmässiger und sanft hingleitender Fluss der Rede. Doch soll nach
ihm (C.) der Geschichtsschreiber nicht ein blosser narrator sein, sondern er vindicirt ihm
auch einen gewissen Schmuck, wohl auch eine gewisse Erhabenheit der Darstellung“. atque hic locus ita tractabitur, ut

primum de metaphora,
deinde de personificatione,
tum de enallages et hypallages forma,
postremo de pleonastro

dicendum sit.

Ille autem quem diximus color poëticus eo potissimum efficitur, quod noster audaciore
quadam verborum translatione largissime usus est. animadvertisuntur autem translationes
tum, cum „permutantur rebus sub sensus cadentibus res, quae sensibus non subiectae sunt,
aut minus in sensus incurruunt“ (Haggström: Commentatio de aliquot translationum Cicero-

¹⁾ cf. Sepp. II.

nianarum generibus, Upsaliae 1861, p. VI. sq.) — cuius generis ut multa exempla in mera rerum enarratione reperiuntur, ita in orationibus potissimum exstant tam multa, ut dies iam me deficiat, si omnia, quae dici in eam rem possunt, velim expromere. quare ea tantum afferre mihi in animo est, quae nec apud alios id temporis scriptores inveniuntur et insigniora sunt, quam quae praeterire liceat. ea, quae dicenda habeo, serie rerum in literas digero:

arx VII,34,4: „arx illa est spei salutisque nostrae“.

alumnus XXI,43,18: „(Hannibal) alumnus prius omnium vestrum imperator“.

aculeus XLV,37,11; cf. etiam XXIII,42,5 (in oratione legatorum Samnitium): „gloriantur Romani te (Hannibalem) ad unum modo ictum vigentem velut aculeo emissō torpere“.

acuere iras IX,9,18: „in haec saeviant, in haec ferrum, in haec iras acuant“. quae verborum coniunctio etiam pro zeugmate accipi potest.

alere incendium XXI,10,4: „aluistis incendium, quo nunc ardetis“.

attollere caput et aequare solo VI,18,14, de dictatura et consulatu dictum est in hunc modum: „solo aequandae sunt dictaturaे consulatusque, ut plebes Romana caput attollere possit“.

culmen hominis I,34,9: „eam alitem ea regione coeli et eius dei nunciam venisse, circa summum culmen hominis auspiciū fecisse“.

conticescere II,29,12: „furor conticescet“.

circumscribere XXI,44,5: „circumscribit nos terminis montium fluminumque“.

consenescunt rogationes VI,39,6: „consenuisse iam secum et rogationes promulgatas et vim omnem tribuniciae potestatis“.

domita etiam ipsius fluminis vi XXI,30,5.

demergi aere VI,27,6: „fugere senatum testes tabulas publicas census cuiusque, quia nolint conspici summam aeris alieni, quae indicatura sit demersam partem a parte civitatis“; cf. II,29,8.

largitionem prodigam V,20,5.

emergere ex pace IX,11,4: „emersisse civitatem ex obnoxia pace“. emergere ex naufragiis V,52,1 (in oratione Camilli): „ecquid sentitis, Quirites, quantum vixdum e naufragiis prioris culpae cladisque emergentes paremus nefas?“

excipere iram hostium capitibus IX,8,9: „at vos satis habeatis vidisse nos sub iugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctosque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes“.

expugnare quaestiones IX,26,15: „sed quoniam quidam nobiles homines primum ipsas expugnare quaestiones omni spe adnisi sunt.“

exhaurire et exinanire aliquem V,20,8: „exhaustis atque exinanitis tributo tot annorum succurri“.

furia et fax belli XXI,10,11 (de Hannibale dictum): „hunc iuvenem tamquam furiam facemque huius belli odi ac detestor“.

fulmen dictatorium intentatum est; audacissima haec translatio legitur VI,39,7: „dictatorium fulmen in se intentatum“.

fulgorem nominis Romani demere XXI,43,12.

furere XXII,39,6: „ille consul coepit furere“, — ac saepius.

fluere luxu VII,32,7: „Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus victos esse“; cf. VII,29,5.

frenare ac domare voluptates sua temperantia XXX,14,7.

frenos dare XXXIV,2,13.

frigere ac torpere senis consilia VI,23,7 et I,41,3: „si tua re subita consilia torpent“.

haeret acies VI,12,10: „ubi haerere iam aciem collato pede videris“. alio sensu translaticio scriptor haerendi verbo III,68,7 usus est, ubi legitur: „haerete adfixi contionibus atque in foro vivite“.

haurire sanguinem alicuius VII,24,5, translatio apud Ciceronem quoque usitata invenitur.

incubare publicis thesauris VI,15,5: „te, M. Manli, adhortor, liberes foenore plebem Romanam, et istos incubantes publicis thesauris ex praeda clandestina evolvas“. quem ad locum conferas, quod Quintilianus dicit inst. orat. X,1,2: „velut clausis thesauris incubabit“. Verg. Georg. 2,507: „defesoque incubat auro“.

inurit necessitas in pectora aliiquid IX,3,13 (in oratione Herenii, C. Pontii patris): „vivet semper in pectoribus illorum, quidquid istuc praesens necessitas inusserit“.

iugum a cervicibus depellere XXII,14,12: „utrum an Luceriam (Papirius Cursor) premendo obsidendoque et lacessendo victorem hostem depulsum ab Romanis cervicibus iugum superbo Samniti imposuit?“

laborat veritas XXII,39,19: „veritatem laborare nimis saepe, aiunt, extingui nunquam“.

lascivire II,29,9: „lascivire magis plebem quam saevire“.

moenia Italiae Alpes XXI,35,9.

moles belli X,16,4: „omnia expertos esse, si suismet ipsorum viribus tolerare tantam belli molem possent“; XXIII,38,5: „belli moles instaret“.

mergi secundis rebus IX,18,1.

mergunt sortem usurae VI,14,7: „multiplici iam sorte exsoluta mergentibus semper sortem usuris obrutum foenore esse“.

macerare desiderio V,54,3: „quae vos, Quirites, nunc moveant potius caritate sua, ut maneatis in sede vestra, quam postea, quum reliqueritis, ea macerent desiderio“.

nutrire damnum VII,4,6: „quod naturae damnum utrum nutrientum patri, an“ obtorpescunt animi; cf. XXXII,20,2: „obtorpuerant quodam modo animi“.

provinciae peritus XXIII,32,8: „veterem praetorem inde A. Cornelium provinciae peritum decadere“; hoc loco provincia sicut persona a nostro adhibetur.

pendent animi VII,30,22: „quod illis nos, patres conscripti, sollicitis ac pendentibus animi renunciare iubeatis“.

parturit animus XXI,18,12: „quod diu parturit animus vester, aliquando pariat“. conferas etiam ad hanc translationis figuram sane audacem Ciceronis locum Philip. II,46,119: „ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod iam diu parturit“.

patet misericordia et auxilium VII,30,11: „omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam vestrumque auxilium aequum est patere“.

perfungi fato IX,1,6: „auctores belli perfunctos iam fato dedidimus“.

praeusti artus XXI,40,9. conferas ad hunc locum Plinium III,20: „praeustis in transitu Alpium nive membris“.

procellas ciere, translato sensu legitur XXII,39,7: „et, qui tantas iam nunc procellas, proelia atque acies iactando, inter togatos ciet“.

pugnare ad satietatem VIII,7,6.

serere discordias III,40,10: „cum discordias civilis serant“.

obnixi stabili gradu VI,12,8.

saginare VI,17,2: „saginare plebem populares suos, ut iugulentur“; XXXVIII,17,17: „quae copia rerum omnium saginaret“.

strepunt aures XXII,14,8: „clamoribus plorantium sociorum“.

tabes crescentis fenoris VII,38,7. — tabes pervenit ad corpus II,23,6.

umbra VII,30,18: „umbra vestri auxilii tegi possumus“. alio sensu hac translatione Livius utitur VIII,4,2: „si etiam nunc sub umbra foederis aequi servitutem pati possumus“ i. e. sub vana imagine foederis. etiam alia huius vocis ratio est XXI,40,9, ubi legitur: „umbrae hominum fame frigore inluvie squalore enecti“ sqq.

Ex his quae attuli exemplis satis iam apparere puto, quantopere translationum illo usu frequentatissimo atque audacissimo Livii orationes eum stylum redoleant, quem in poëtis admiramus.

Ad hoc poëticum dicendi genus ea quoque figura mirum quantum valet, quam nos personificationem, Graeci προσωποιαν vocant. cuius natura ea est, ut subiectis, quae rem spectant, attribuantur notiones, quae vel maxime personarum propriae sunt. etiam huius figurae usus in Livii orationibus latissime patet. exempla quaedam insigniora propono haec:

Roma vincitur II,44,12. — Roma an Carthago iura gentibus daret XXX,32,2.

aes exuit II,23,6: „aes cumulatum usuris primo se agro paterno avitoque exuisse“.

bellum ante portas est . . . et arcem et Capitolium scandet et in domos vestras vos persequetur III,68,7.

oppugnatio eos aliquanto atrocior quam ante adorta est XXI,11,6.

desiderium libertatis remordet animos VIII,4,3.

castra insaniunt XXVIII,34,4.

consilia torpant I,41,3; „consilia frigent ac torpant“ VI,23,6.

eventus stultorum magister est XXII,39,10.

furor conticescit II,29,12.

rabies agitat XLV,26,7.

neglegentia prodit XXXI,23,8.

me specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te movet VIII,7,18. conferas etiam Weissenb. ad XXII,6,9; VI,24,11; I,34,6: „Roma ad id potissimum visa“ (aussehen); „Camillus suam gloriam videt“ VI,24; II,12. Kuehnastius l. l. p. 292 has praecipue affert voces, quibus a Livio attribuuntur adiectiva personarum propria: academia, aetas, antiquitas, fides, fortuna, natura, necessitas, pavor, philosophia, pudor, salus, spes, virtus. Alia exempla invenies apud Queckium l. l. p. 16 in annotatione 18.

Sequitur ut de enallages vel hypallages quam vocant usu apud Livium sicut apud poëtas satis frequenti dicendum sit. quae orationis figura eo continetur, quod imprimis, ubi duo nomina in unam quasi notionem coalescunt, adiectivum utrilibet nomini appositum conveniat. cuius generis in Livii orationibus haec fere exempla inveniuntur:

ex ancipiti oraculo responsa IX,3,8.

specimen virtutis deceptum VIII,7,18 pro: specimen virtutis deceptae.

serae spei exitum V,6,2.

adversa hominum fama XXXVII,47,6; rumor XXVII,20,10.

hesterna felicitate pugnae II,50,7.

Ad hanc figuram pertinent etiam eae verborum coniunctiones, in quibus adiectiva pro casu genitivo ponuntur. quae dicendi ratio quamquam nonnulla parte omnibus scriptoribus communis est, tamen Livius certos quosdam fines, quos ceteri sibi praescripsérunt, audacter transiluit, velut legimus:

regia pugna IV,32,11 pro regum pugna; „regius eques“ XXXI,35,6; „praefectus regius“ XXXII,16,12; „praesidium regium“ XXXVII,12,5; „legatus regius“ XXXVII,59,9; „pecuniae regiae“ epit. ad lib. XXXVIII; cf. XXXII,6,6.

omni divino humanoque scelere XXIX,18,20. — alia exempla: invidia decemviralis, consularia impedimenta, consensus militaris, terror servilis. — saepius autem Livius ea enallages vel potius hypallages forma utitur, qua adiectivum substantivo appositum cum alio substantivo commutatur, velut legimus:

tanta moles mali V,37,1 pro: tam molestum malum.

praetor urbis XXXI,4,2 pro: praetor urbanus.

miraculo magnitudinis XXV,9,14. — alia exempla: alio vitae tenore, noctis proximae opportunitas, miraculum nominis, tanta vis frigoris, alia sanctitate vitae. hic etiam referri potest, quod legitur VII,30,12: „nefario latrocino Samnitium“, — et paulo infra 17: „contemptus Samnitium“.

Restat ut de pleonasmō (cf. Quintil. VIII,3,53), quatenus in orationibus appetat, pauca addantur. continetur autem haec figura geminatione sive adiectione vocabuli prorsus abundantis, id est, plane nihil significantis, sicut: itaque ergo IX,31,16; III,31,5; I,25,2; XXVIII,12,12; igitur ergo XXI,40,6. quare longior fit quam oportet oratio et nascitur, ut Quintilianus dicit, μακρολογία quaedam, propter quam imperator Caligula nostrum ut verbosum in historia neglegentemque carpsisse atque ex bibliothecis amoturus fuisse fertur. quae quidem repetitiones non solum ad nomina, tempus atque locum significantia, maxime pertinent, quas ut Caesar¹⁾ perraro, ita Livius ἐκ παραλλήλου ponit saepissime, sed hoc spectant etiam particularum coniunctiones, quales sunt hae: deinceps inde V,37,6; deinde deinceps II,47,11; inde deinceps I,44,3; deinde postea XXI,24,20; nisi si, ita sic; vel: si quando umquam, ullusquisquam, quisquam unus, nemo unus; vel particulae cum verbis eandem notionem exprimentibus coniunctae, velut: retro repetere XXII, 6,7; IX,2,8: „aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda.“ rursus repetere XXI, 52,10; rursus restituere ibid.; ante praeoccupare XXI,20,8, porro ire, pergere XXI,22,9; avertere retro XXIII,17,9.

Ad verborum pleonasmum sive verbositatem pertinent etiam haec: nolite velle VII, 40,16; inchoare initia III,54,9; falsa ementiri XXV,3,10; volentes ac non coacti XXIV, 37,7; dicto audiens atque oboediens V,3,8; initium ordiendae rei, praef. 12; uno et perpetuo tenore semper usurpato, nunquam intermisso XXXV,16,8; ignoti inter se ignorantesque XXI,43,18; amicitiam sociali foedere iungere XXXIV,57,9. referas etiam huc verbositatem illam formularum antiquarum propriam, velut: volens propitius XXII,37,12; vellent

¹⁾ cf. apud Caesarem b. g. I,6: itinera duo, quibus itineribus; I,16: diem instare, quo die; I,42,4: dies colloquio dictus est ex eo die quintus; I,48 et I,51: postridie eius diei; I,49: ultra eum locum, quo in loco (quo accuratius pugnae locum describeret).

iuberent XXXIII,25,6; imperium auspiciumque XXII,30,4; XXVIII,27,4; antiquo abrogo XXII,30,4; signa legionesque, ibidem; iure ac iudicio disceptare XXXVIII,38,17; bene ac feliciter XXXVI,1,2; dis bene curantibus XXI,21,6; suspensi ac solliciti XXII,59,16; clam furtim; ex insperato repente; forte temere, — et alia.

III.

Expositis his, quae de poëtico orationum colore dicenda putabam, iam ad figuræ rhetoricas, quas tertio loco tractandas posueramus, accedamus.

Omitto quam vocant litotæ, quae nisi in negationibus apud Livium vix reperitur (cf. XXII,28,13: haudquaquam impar; X,10,12: minus cunctanter). at contra figura, quam dicimus exaggerationem, orationum potissimum propria est. Gellius N. A. XIII, 25,9 ex Cicerone hoc præcipue exemplum affert: „Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit.“ distinguendum autem est inter sermonis ac rerum exaggerationem; haec enim ad ipsam orationis formam nihil pertinet; illius autem exempla quaedam insigniora propono haec:

pontes et moles ex humanorum corporum strue facere XXIII,5,12.

inuvie squalore enecti XXI,40,9.

post tot saecula sileantur fraudenturve laude sua XXVII,10,7; XXXV,16,11.

non esse aequum mandatum sibi a populo eripi honorem IV,57,2.

neu populus in se potissimum dictatorem et ius dictature exstinguat VIII,34,6.

rebellasse, quod pax servientibus gravior quam liberis bellum esset X,16,5.

si plebeius iam magistratus consulatus fiat VII,18,4.

Etiam prolepsis in orationibus interdum reperitur. conferas II,6,7: „ille est vir, qui nos extores expulit patria“; — VIII,30,6: „concitatos permisit“; — XLV,36,8: obnoxii; — II,47,8: trepidos; — II,45,14: iratos, pro: ut irascantur.

Gradationis figuram apud Livium haud ita frequenter inveneris. exempla notavi haec:

fudi fugavi expuli XXVIII,28,9.

capessendos petendosque VI,34,4.

non solum a patria, sed ab hoste XXV,6,17, et alia multa, quae Kuehnastius in dissert. „Livius als Schullektuere“ III in ann. pag. 7 et Dr. Moritz Müller in dissertatione „Beiträge zur Kritik und Erklärung des Livius“ pag. 4 sqq. in annal. gymn. Stendal. 1871 collegerunt.

Etiam prægnantem quam dicunt constructionem Naegelsbachius (p. 288 sqq.) gradationis figuræ adnumeratam esse vult. et re vera verba cum vocabulis primitivis coniuncta gravem quendam et elegantem gradationis sensum efficiunt, cf. XXI,27: „iter ire unius diei“; III,54: „inchoare initia libertatis“; XXIX,27: „ea vos . . . bonis auctibus auxitis“. etiam Lessingum in libro quodam de arte coquinaria Naegelsbachius hoc præceptum legisse narrat: „las es in einer pfannen erwallen einen wall.“

Pauca de zeugmate addo, cuius ratio ea est, ut utrique substantivo attribuatur notio, quae ad alterum modo pertinet. exemplum valde insigne legitur:

succinctus armis atque legionibus XXI,10,5.

si sciens fallo, tum me Juppiter optimus maximus, domum, familiam remque meam
peccato leto adficiat XXII,53,11.

praestituta dies et capitalis poena VI,4,5.
conferas etiam XXXIV,39,9.

Usitatissima apud Livium est repetitionis figura, qua in orationibus potissimum
vis quaedam et gravitas efficitur. ita legimus III,67,1: „hoc vos scire, hoc posteris
memoriae traditum iri“.

III,57,11: „adversus nos Aventinus capitetur, adversus nos sacer occupatur mons“.

V,54,7: „hic Capitolium . . . , hic cum augurato liberaretur Capitolium“.

VI,18,12: „qualescunque duces habuistis, qualescunque ipsi fuistis“.

VIII,4,3: „sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos, si foedus est, si
societas, aequatio iuris est, si consanguineos nos Romanorum esse“. — huins figurae usus
latissime patet in ea oratione, quam P. Decius apud exercitum habuit VII,35,3: „virtute
cepistis locum, virtute hinc evadatis. veniendo huc exercitum populo Romano servastis,
erumpendo hinc vosmet ipsos servate“. cf. XXI,41,5: „utrum . . . an . . utrum . . an“;
et ib. 8: „qui . . qui . . qui . . qui . .“; et ib. 11: „licuit . . . licuit“.

Similis contrapositi ratio est, velut III,67,6: „dum nec nobis imperii, nec vobis
libertatis est modus, dum taedet vos patriciorum, nos plebeiorum magistratum“ — sub
finem allocutionis, quam Q. Fabius Maximus ad proficiscentem L. Aemilium Paulum
habuit, insignia quoque exempla huius figurae invenimus; cf. XXII,39.

Annominationem, quae παρονομασία et a Naekio, Rhein. Mus. III fasc. 3 p. 408
etiam assonantia vocatur, invenias XXXI,29,16: „hoc eodem modo iidem homines de
eiusdem Philippi pace triennio ante decrevistis, iidem improbantibus“; et XLII,41,2:
„quae verbo obiecta verbo negare sit“; cf. VII,30,20.

Invenitur etiam quae hodie dicitur alliteratio, velut VII,38,6: „sudor ac sanguis“;
VII,35,6: „videntem ac vigilantem“; I,16,3: „pacem precibus exposcent, uti volens
propitius suam semper sospitet progeniem“. cf. etiam V,27,12, ubi litterae **v** et **q** saepe
iterantur. alia exempla annominationis et alliterationis invenimus in dissert. „Beitraege
zur Kritik und Erklaerung des Livius“ Dr. Moritz Mueller in annal. gymn. Stendal. 1871
pag. 5 sqq. — verum hoc magis ad poëticum dicendi genus, quod supra tractavi, pertinet,
et conferre velis illud Horatianum (carm. I,4,13): „Pallida Mors aequo pulsat pede
pauperum tabernas“, — vel notissimum illud: „leise lispe linde, liebliche Lenzeslüfte“.

Iam ad asyndeton et polysyndeton, quae oratorum potissimum propria sunt,
accedamus. distinguendum autem est inter singula huius figurae genera asyndeton, quod
Draegerus (histor. Syntax 1881, II. p. 203) primus appellat explicativum, et quod
frequenter apud Livium legitur, velut II,7,2 „Silvani vocem eam creditam —, haec dicta:
uno plus Etruscorum cecidisse in acie; vincere bello Romanum“. III,52,2: „non prius,
quam deserit urbem videant, curam in animos patrum descensuram; admonitum Sacrum
montem constantiae plebis“, — ubi asyndeton cum chiasmo quem vocant coniunctum est.
conferas etiam XXV,16,10; XXVI,37,5; XXV,11,18; XLI,22,7. — praecipue Livii proprius
est usus asyndeti vel polysyndeti in enarrandis prodigiis, ubi modo nomina locorum, modo
prodigia ipsa plerumque coniunctione et, raro coniunctione que inter se iunguntur;
conferas III,10,6: „eo anno caelum ardere visum, terra ingenti concussa motu est; bovem
locutam, cui rei priore anno fides non fuerat, creditum“.

XXI,62,2: „ingenuum infantem semestrem in foro holitorio triumphum clamasse, et foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte escendisse atque inde tumultu habitatorum territum sese deieisse, et navium speciem de caelo adfulsisse, et aedem Spei, quae est in foro holitorio, fulmine ictam, et Lanuvi hastam se commovisse, et corvum in aedem Junonis devolasse atque in ipso pulvinario consedisse, et in agro Amiternino multis locis hominum specie procul candida veste visos nec ullo congressos, et in Piceno lapidibus pluvisse, et Caere sortes extenuatas, et in Gallia lupum vigili gladium ex vagina raptum abstulisse“.

XXII,1,8: „in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse, et litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse, et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum, et Praeneste ardentes lapides caelo cecidisse, et Arpis parmas in caelo visas pugnantem que cum luna solem, et Capenae duas interdiu lunas ortas, et aquas Caeretes sanguine mixtas fluxisse fontem que ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis, et Antii metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse, et Faleriis caelum findi velut magno hiatu visum, qua que patuerit ingens lumen effulsisse, sortes sua sponte adtenuatas, unam que excidisse ita scriptam: Mavors telum suum concutit, et per idem tempus Romae signum Martis Appia via ac simulacula luporum sudasse . . . gallum in feminam sese vertisse“. — assyndeton quod a Naegelsbachio dicitur summativum nisi in enarratione rerum apud Livium non invenitur. et contra asyndeton adversativum ipsarum orationum proprium est. exempla propono haec: VIII,13,15: „licet delere omne Latium, vastas inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu per multa bella magna que saepe usi estis; vultis exemplo maiorum augere rem Romanam victos in civitatem accipiendo? materia crescendi per summam gloriam suppedit“.

XXII,39,3: „si altera parte claudet res publica, malis consiliis idem ac bonis iuris et potestatis erit“. — vel praclarum illud Mahabalidis XXII,51,4: „vincere scis, Hannibal, Victoria uti nescis“. — quem ad locum conferas Plut.: οὐ νικᾶν οἴδας, νικῆ δὲ χρήσθαι οὐκ οἴδας. — et X,27,6: „per biduum laccessiere proelio hostem. biduo nihil dignum dictu actum. pauci utriusce cecidere“. conferas etiam VIII,14,10; X,17,7; XXXIV,6,23; XXIX, 37,13; XXVIII,21,3. — frequentatissimus in orationibus asyndetorum imperativorum usus est, velut X,4,10: „ite, dicite, detegant nequiquam conditas insidias“. — XXII,3,13: „num literas quoque ab senatu adfers, quae me rem gerere vetant? abi, nuntia, effodiant signum, si ad convellendum manus prae metu obtorpuerit“. — XXII,49,10: „abi, nuntia publice patribus, urbem Romanam muniant ac praesidiis firment“. IX,4,16: „ite, consules, redimite armis civitatem, quam auro maiores vestri redemerunt“. — conferas etiam XXXVII,36,8; XLIV,26,11. — plura exempla asyndetorum et polysyndetorum invenies in 1. diss. Dr. Moritz Müller, Stendal 1866 pag. 3 sqq.

Polysyndeti exempla invenias XXVII,10,7; X,24,17: „certe id et natura aequum et exemplo utile esse et ad famam populi Romani pertinere, eos consules esse, quorum utolibet duce bellum Etruscum geri recte possit“. — VI,16,2: „Juppiter optime maxime Iunoque regina ac Minerva ceterique dii deaeque, qui Capitolium arcemque incolitis“ e. q. s. — conferas etiam XXXVIII,51,8; XLV,26,4; XXXVII,34,5; XXXI,29,7: „et Messanam et Syracusas et totam Siciliam ipsi habent“. — in tribus nominibus vel verbis coniunctione illa varie utitur; ita legimus XXXI,31,7: „urbem agros suaque omnia“; —

et V,53,9: „maiores nostri convenae pastoresque“. — aliam sequitur rationem XXXII, 21,4: „Romani Rhodiique et Attalus“, — et V,51,10: „verterunt terrorem fugamque et caedem“. — alia exempla afferre liceat XXIII,31,15; XXIV,44,8; XXV,7,7; XXXII,1,10. —

Pauca etiam de interrogationibus quae dicuntur rhetoricae addenda sunt. quas cur scriptor adhibeat, multae eaeque non pares ubique causae exstant. saepe scriptor interrogat, ubi respondendum est, velut III,69,3: „ergo si viri arma illa habuissent, quae in portis fuere nostris, capi Roma me consule potuit?“ — aut ubi respondendi incerta est ratio, velut III,67,4: „quem tandem ignavissimi hostium contempsere?“ — totum hoc interrogandi genus plenum est varietatis; nam et indignationi convenit, velut III,67,7: „pro deum fidem quid vobis vultis?“ — et dubitationi XXXII,21,28: „unde regiam societatem et praesidia Macedonum implorem?“

IV.

Restat, ut de verborum positione ac de periodorum structura agatur. in vocabulorum collectione, ubi non certis atque constantibus legibus constituta est, aut pronunciatio vocabulorum, quatenus syllabarum et brevium vocalium et consonantium similiumque rerum apta successione et vicissitudine nititur, aut vis verborum sententiarumque perspicuitas respici potest. de priore iudicare hodie, verae Romanorum pronunciationis quum ignari simus, non satis licet. tamen loci nonnulli meo quidem iudicio id quod dixi demonstrare videntur, velut: „triginta ferme interfuere anni“ I,3,4; vel: „multis ante tempestatibus tenuerit loca“ I,5,2; vel: „ad diripiendam urbem credite coortos“. saepius etiam vocabulorum seriem in unam eandem literam cadentium dedita opera a scriptore interruptam esse appetat. plura autem de eo verborum ordine explicanda sunt, qui ipso sensu eorum regitur. hic enim Livius non raro a consueta collocatione recedit et turbata atque impedita utitur. conspicitur autem inversa verborum collocatio in his potissimum rebus:

genitivus a nomine, ex quo pendet, aliis verbis seiungitur, velut XXII,60,6: „si tantummodo legati postulassent pro iis, qui in hostium potestate sunt, ut redimerentur, sine ullius insectatione eorum brevi sententiam peregisset“; — vel I,52,3: „ceterum se utilitatis id magis omnium causa censere, ut renovetur id foedus; — III,1,4: „T. Quincti ductu et auspicio agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse“. — conferas etiam XXVII,17,3; XLV,43,10; XXXII,10,5; XXXVI,6,8; XXX,13,18; XXXV,28,11, — et quae sunt cetera prorsus parilia.

etiam adiectivum ab eo vocabulo, ad quod pertinet, separatur, velut II,32,11: „inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere eum reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem“. — XXI,30,9: „Saguntum ut caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse?“ conferas XXXVIII,41,2; XL,40,1 — alia. qua vocabulorum collocatione scriptor nonnunquam utitur, ut id quod interponitur vocabulum premat, velut III,39,9: „cuius illi partis essent, rogitare“. — in universum dicendum est Livium adiectiva frequentatissime substantivis anteposuisse; neque id rhetoricae ipsius indoli repugnat.

ad adiectivum substantivo appositum aliud etiam adiectivum accedere potest. quare orationis membra quasi trahuntur ac pigre tantum moventur, velut I,14,7: „loca circa densa obsita virgulta“, — vel I,31,8: „occulta sollemnia sacrificia“. — conferas etiam I,57,11; II,53,3. clara etiam exempla invenias apud Drak. ad Liv. I,14,7.

In enuntiatorum structura ac verborum collocatione Livius saepissime chiasmo usus est. exempla quaedam insigniora propono haec:

VI,17,5: „adeo in uno omnibus satis auxilii fuisse, nullam opem in tam multis uni esse?“

VI,18,8 (in oratione M. Manli): „et vidistis in vincula duci universi eum, qui a singulis vobis vincula depuleram“.

VI,19,7: „simul . . . ex advocatis iudices facti erunt . . . et accusatores de plebe“.

VI,37,4: „non posse aequo iure agi, ubi imperium penes illos, penes se auxilium tantum sit.“

VII,40,10: „vos prius in me strinxeritis ferrum quam in vos ego“; — pergit deinde anaphora usus sic: „istinc signa canent, istinc clamor prius incipiet atque impetus, si dimicandum est“.


IX,9,4: „neque ego infitias eo, patres conscripti, tam sponsiones quam foedera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta divinas religiones fides humana colitur“.

XXI,8,3: „abundabat multitudine hominum Poenus —; oppidani ad omnia tuenda atqne obeunda multifariam distineri coepti non sufficiebant“. — qui quidem locus in pedestri oratione invenitur, neque eo minus huius structurae insigne est exemplum.

XXII,29,4: „suos a fuga effusa et ab nimis feroci pugna hostes continuit“.

XXII,39,4 (in oratione Q. Fabii Maximi): „nescio an infestior hic adversarius quam ille hostis maneat: cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus sis certaturus“.

Postremo eos locos pono, quibus Livius copta structura plane turbata oblitus sui anacoluthon admisit. quod ei potissimum in eis orationibus, quae intimi affectus signis praenitent, accedit, velut XXIV,26,3: „nunc per memoriam Hieronis patris Gelonisque fratris, ne se innoxiam invidia Hieronymi conflagrare sinerent“ —, quem ad locum conferas Cic. Brut. 14,55. — alia exempla collegit Kuehnastius p. 326: II,39,2; XXXIV,25,8; XXXI,47,6; II,57,3; IV,30,14; IV,50,5; IV,54,4; VIII,1,6. — addo XXVI,12,11; XXVII, 49,8 —, quo loco „ut“ particula omissa est. — cf. XXIV,40,5, ubi quod dicimus subiectum ex „quod“ vocabulo depromendum est; denique XXXI,34,6 —, quem ad locum conferas Weissenb.



Corrigenda:

pag. 6 v. 30 legendum est: voluptatesque, cf. Daniel . . .

pag. 14 in postremo versu: Hor. carm. III 27,74.

etim. questo spesso serviva alla lotta contro i primi invasori. Si contano 17.014 telai e 11.500 capi di velluto, 11.500 capi di velluto con un valore complessivo di 11.500 lire statutarie — velluto, panno, stoffe, ecc. — « fabbricati ».

Il fabbricato non ha alcun diritto, salvo il diritto stesso di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in questo settore.

Questo diritto è compreso nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Altri diritti sono quelli di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.

Questi diritti sono compresi nel diritto di 1.500 lire statutarie per ogni persona che lavora in campo rurale.